

Bibliothèque numérique

medic@

**Picquet, Jean - candidat / Le Vacher,
François Guillaume - président. - De
variis patellae luxationibus**

1761.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi***

Cote : ms 2342, n°78



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0078](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0078)

DE VARIIS PATELLÆ LUXATIONIBUS.

THESES ANATOMICO - CHIRURGICÆ

Quas DEO JUVANTE, & Præside M. FRANCISCO-GUILLELMO
LE VACHER, Artium & Chirurgiæ Magistro; nec non Nofo-
comiorum exercitûs Regis in Germaniâ olim Chirurgo Primario;
tueri conabitur JOANNES PICQUET, Audomaropolitanus, Artium
Magister, nec non Serenissimi Principis Ducis Aureliæ Chirurgus.

De St. Omer

PARISIIS.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

Die Veneris 24^a. Julii, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam
anno R. S. H. 1761.

PRO ACTU PUBLICO
ET SOLEMNI COOPTATIONE.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. D. C. C. LXI.



DE VARIIS
PATELLAE LUXATIONIBUS.

THESES ANATOMICO - CHIRURGICAE

Quas PRO JOHANNES, & FRIDERICUS M. FRANCISCO GUILLEMO
DE VACHER, A. M. & Chirurgus Magister, nec non Medici
consecutus est, Regis in Germania olim Chirurgus Primarius,
tunc Medicus in Universitate, & Chirurgus in
Magalet, nec non Generalissimus Principis Ducis Saxe-Coburgae.

PARISIIS.

IN REGIO CHIRURGICORUM SCHOLIS.

Die 17 Junii 1764, Jussu & auctoritate Regia, et Universitatis
Senatus, M. D. C. C. LXXI.

PRO ACTU PUBLICO
ET SOLEMNI COOPTATIONE.



Typis P. A. L. F. Parisiis, Regii Chirurgi Collegii
Typographi.

M. D. C. C. LXXI.



D. O. M.
T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



INTER dulcissimâ vitæ humanæ bona ab optimâ partium conditione oriunda, à nullo fortasse alio homines ambulatione suavius alliciuntur. Hâc etenim qui privantur, ii cum ferè nullâ arte possint infractum studio & laboribus animum recreare, aut urgentibus vacare negotiis, sanitatique consulere, sese habent inter viventes veluti mortuos, & in eam incidunt melancholiam quâ, dum summum sibi ipsis tædium creant, gravissimos aliis mœrores incutiunt & molestias intolerabiles. Maximâ igitur cautione & animi attentione sedulâ providendum est, ut quibus lædi ambulatio queat incommodis, ea arceantur, vel si jam adsint, profligentur. Porro si consideremus quibus comparaverit natura mediis ut valeat corpus è loco in locum transferri, truncum reperiemus firmissimis itâ fundatum esse basibus, ut possint illæ, si sit opus, mirâ facilitate flecti, & quando requiritur, stabiles & rigide permanere. Diversa illa & admodum necessaria artuum inferiorum virtus, præprimis debetur articulo femoris cum tibiâ. Verùm si spe-

A ij

4

ciales huiusce articuli partes idcirco factæ jure videantur, ut ambulationi serviant, non minori certitudine certum est patellam ipsis summo perè ministrare, difficillimamque procul dubio & stationem & ambulationem fore, si Rotula tollatur. Hujus ergo situs contranaturales sciendi non mediocriter important, ut ipsis quâ par est arte, medeatur.

JAM verò si id in articulatione femoris cum tibiâ advertatur quod ad Patellam spectat, una observanda cedit anterior articuli facies, & valentissima quâ tota circumobvolvitur capsula articularis. Habet os femoris longam latamque satis cavitatem: Dicitur hæc cavitas anterior, estque nil aliud præter spatium duos inter condylos excavatum. Ab anteriori ossis parte ad posticam usque protenditur, solâque parte anteriori & superiori quæ creberrimis Patellæ motibus accommodatur, lævissima obducitur cartilagine. De Condylis illud est annotatione dignum quod externus interno plûs promineat & superius ascendat. Crassum profert tibia tuberculum (cristæ tibialis principium) quod inferioris Patellæ ligamenti radices excipit. Hoc suprà expansâ superficies utcumque plana est & aspera, neque cartilagine vestitur ullâ.

QUOD anteriorem hujus articuli faciem os obtegit mobilemque eminentiam in genu faciliè conspicuam efformat, illud à calculorum figurâ quibus in proferendis suffragiis utebantur veteres, Rotulæ nomen habet. Merum os sesamoïdeum est diverso volumine, pro diversâ subjecti ætate atque magnitudine. Externa illius facies quæ anteriora respicit, æqualis est & leniter convexa; qualemcumque cordis seu conî speciem exhibet. Interna quæ & posterior inæqualis est, eminentiâ verticali descriptæ femoris cavitati respondente, & duabus foveis duplici condylo recipiendo idoneis donatur. His cartilagineum est superstratum additum, quo faciliùs in os femoris gliscat & moveatur.

FACIES illa transversè elongatur, hujusque cavitas externa latior est internâ atque profundior. Neque eamdem expectes in omni parte crassitiem. Spissior pars superna, inferna tenuior. Partem superiorem fingit conî basis, apex inferiorem. Connectitur per tendines & ligamenta femori, tibiæ & articulari capsulæ, itâ ut motus ipsi non obscurus permittatur, atque dum inflectitur tibia, descendat; ascendat cum extenditur. Scilicet musculi femoris vastus internus & externus, rectus & anterior, omnes cruris extensores dicti, in unum fasciculum coeunt qui primùm Patellæ basi inseritur, deindè divisus, ut itâ loquar, membranis aponevroticis, Patellam totam amplectitur, ipsique vaginam quasi quamdam subministrat. Denique

3
p̄rgit iter, & recollectis fibris ligamentum inferius constituit quod
tibiæ tuberculo altissimâ impressione adhæret. A vicinis tendinibus
orta lateralia Rotulæ ligamenta articularis capsulæ fibris implicantur
ipsis que intimè uniuntur.

PATELLAM simul & totum articulum circumvestiens hæc capsula
ipsam in situ continet, ita tamen ut motibus assuetis non sit obex.
Corroboratur illa fibris musculi fascia-lata dicti aponevroticis quibus
totum femur obvolvitur, & cum cruris fasciâ-latâ conjungitur. Cæ-
terùm Patellæ motus synoviali, qui articulo affluit, liquore mi-
rum in modum juvantur partesque ab exitiosis attritus effectibus
potentissimè servantur.

QUAMVIS accuratissimas natura adhibuerit cautelas, ut in eo
quem descripsimus statu harmonico, quantum possint, servarentur
partes, & luxationes præcaverentur, miserrimo tamen neque admodum
raro fato accidit ut è cavitate femoris egrediatur Patella; unde motus
genu voluntarius impediatur ac prorsus aboleascit. Neque desunt ignari
in arte Chirurgicâ viri, qui hancce Rotulæ affectionem eo tractent
modo quo genu ipsius Luxatio curari solet & infandos ægrotantibus do-
lores concitent, dum membra vi magnâ attrahunt partemque demittunt.

SPECIE varia est Rotulæ luxatio; 1^o. essentiâ; non secus enim ac
plerique morbi modò simplicem, modò compositam, modò complica-
tam se præbet. 2^o. Pro diverso in quem luxatum os abit loco; reperitur
enim superius, inferius, internè, vel externè. (a); 3^o. Pro tempore ex
quo accidit, quæ consideratio non minoris est utilitatis in prognosi.
4^o. Denique pro accidentibus & causis.

CONATUS ingentes, nîsus enôrmes, violentæ musculorum
crus extendentium actiones, ictus, casus, &c. Rotulam è cavitate
dimoveant. Plures insuper adsunt causæ ab intimis corporis pene-
tralibus enascendæ quibus Luxatur Patella. Hunc enim effectum
quandoque produciunt convulsiones, cui favet ligamentorum debili-
tata textura à *κακοχρυσία*, *καχεξία* aut alio quolibet generali vel parti-
culari vitio. Lymphæ synovialis in articulo inclusæ nimîâ copiâ se-

(a) Animadvertendum est difficillimam esse Patellæ Luxationem in partem
femoris externam propter naturalem condyli externi suolimitatem & cavitatis
Patellæ huic correspondentis altitudinem. Quia tamen nuperrimè Viro Claris-
simo Parisiensis Nosocomii Chirurgo Primario D. MOREAU, licet se id unâ vicè
tantum expertum esse falsus sit, ejusmodi luxationem videre contigit & tractare,
concludere absurdum esset eam esse à causis etiam externis impossibilem. Homo
enim cui id infortunii acciderat falsus in vestigio, in internam genu faciem,
ut ipse narravit, procybuerat.

cretæ & in gypseam materiem mutatæ congestio, Patellæ Luxationi sæpè etiam præbet ansam. Idem denique efficit ipsa ossium articulorum exostosis ut in rachitide, scorbuto, strumis, lue venerea, &c.

EJUSMODI est Patellæ Luxatio, ut nullam in diagnosi difficultatem offerat. Omnium etenim oculis solâ partis affectæ cum parte sanâ comparatione patebit an sit luxata Rotula & quam in partem abiverit. Præsens in eâ parte ubi eminentiam Rotula faciebat cavitates, & ubi aderant cavitates eminentiæ, rem satis evidenter declarabunt. Non difficilior erit ligamentorum rupturæ diagnosi, atque majori aut minori tumoris volumine aut aliis comitantibus symptomatibus ratiocinium adjuvabitur.

Hic quidem morbus pro variâ Luxationis specie, tempore vario; variisque causis plus minusve periculi importat. Vetus Luxatio difficiliorem promittit curationem. Simplex compositâ longè benignior est, complicata deterior. Ubi namque ligamenta tendinesve disrumpuntur, aut graviora comitantur superveniuntve symptomata, sicuti genu totius Luxatio, convulsiones, fissuræ ossium aut fracturæ, contusiones, vulnera, partium inflammatio, dolores, abcessus, gangrenæ, febris, deliria, &c. Longè alia solet oriri rerum series, agiturque tragædia longè trucior atque funestior. Neque tamen ulla curatu difficilior accidit, quam quæ à causis internis.

COMMUNIS unicuique Luxationi generalis indicatio Patellæ Luxationi convenit. Reponendum est in suâ cavitate deturbatum os, ibique continendum; deinde, accidentia prævidenda aut mitiganda si adsint. Ut autem celebretur operatio, ea sedulò ante paranda sunt quæ sunt operationi necessaria, aut statim peractâ operatione partibus applicanda. Tum lectulo cubet resupinus æger, aut si minus adsit periculum, ipse stans à juvantibus sustentetur; deinde crure constanter extenso, Patellamprehendit manu Chirurgus, conaturque variis & idoneis impulsibus eam in propriam cavitatem reducere. Ubi parvæ sunt & amotio & tensio, omnia hâc operatione facillè terminantur. In deligatione sufficiunt splenia liquore quolibet spirituoso, ut aquâ vitæ camphoratâ, imbuta, fasciis ut par est retenta. Ubi major adsit partium distractio multumque tumet genu, emollientibus utendum est & cum tunc metuitur inflammatio, venæ sectiones potiusque diluens & antiphlogisticus adhibentur. (b) Illudque

(b) Sunt quandoque Patellæ Luxationes adeò gravibus stipatæ accidentibus ut nulli medio assueto cedant. Hoc in casu abscinditur cutis & machinis perficitur operatio. Etiam si enim objici possit hanc methodum jam absque suc-

7

statim atque cedunt accidentia imperandum est sedulò, ut moveatur identidem genu usquedum pristinum vigorem articulus recuperaverit. Quod si cum aliis affectibus complicitur Luxatio Patellæ, curatio evadit intricacior & ardua magis; hoc enim in casu curandum est ut infaustioribus & instantioribus accidentibus primùm medeatur. Si Patella simul cum totâ articuli distorsione Luxetur, simul quoque & eâdem operatione reducitur: verùm tunc valdè metuenda est ἀγχύωσις. Si ligamenta frangantur; membrum in extensione continuâ servandum est, ità ut, reductâ Luxatione, ligamentorum extrema, quantum fieri potest, contigua maneant. Quod obtinetur machinis & fasciis. Si in externam femoris partem acciderit Luxatio; propter reductionis non raram difficultatem remittenda est operatio; intereà tamen apponendæ sunt partibus decocta emollientia, laxantia, producendæque ad animi deliquium venæ sectiones & expectandum ut imminutâ phlogosi, partes antea distensæ nunc laxatæ cedere valeant. Quibus peractis, tentatur reductio quæ plerumque prosperè succedit. Cæteri casus non magnam ut plurimùm difficultatem præbent. Illud ergo satis est in genere, medio quocumque idoneo & simpliciori partem in propriâ sede reponere, & sanguinis missionibus, medicamentis aquosis, diluentibus, emollientibus & antiphlogisticis aut præsentem aut futuram inflammationem debellare aut præcavere.

cessu adhibitam fuisse, ab ipsâ tamen, ut potè rationi analogiæque consona recedendum non censemus: quinimò si pergant accidentia, ampliandæ sunt & multiplicandæ scarificationes ut distendantur partes aponevroticæ; denique si gangrena supervenerit & mortem minatur, amputandum est membrum, in extremis enim extrema tentanda sunt.

